

Illustriſſimo & celiſſimo principi,

D. MAVRICIO,

PRINCIPI AC DOMINO AVRANTIÆ,
COMITI IN NASSAV, CATZENELLENBOGEN,
Vianden, Diets, Mœrs, Buren, &c. Marchioni Veræ
& Vlissingæ, Domino Graviæ, & regionum Cukiæ,
S. Viti, Doesborg, &c. Gubernatori Geldriæ, Hol-
landiæ, Zelandiæ, VVestfrisiæ, Sutphaniæ, Ulraie-
cti, Transsalaniæ, &c. supremo militiæ so-
ciorum Belg. duci, & generali rerum
maritimarum præfecto;

&

Verè inclyto ac generoſſimo Domino,

D. GVILHELMO LUDOVICO,

COMITI IN NASSAV, CATZENELLENBO-
GEN, VIANDEN, DIETS, DOMINO IN BIELSTEIN,
Gubernatori Frisiæ, Groningæ, agri circumvicini, Dren-
tia, &c. supremo ibidem armorum ac
militiæ præfecto:

Dominis suis clementissimis.



*VM tot sustineas & tanta negotia
solus,
Res Italas armis tuteris, moribus
ornes;
Legibus emendes, in publica commo-
da peccem,
Si longo sermone morer tua tempora
Cæsar.*

ait poëta Horatius ad Cæfarem Augu-
stum scribens. Id verò ego illustrissimi
nomina vestra hac epistolâ compellans

EPISTOLA DEDICAT.

rectissimè usurpare me posse arbitror,
totâ Europâ, imò toto penè terrarum
orbe inclyti principes. Tantam enim ne-
gociorum maximorum molem susti-
nuistis diu, & nunc quàm maximè su-
stinetis, ut verè in publica commoda
peccet, impudénsque æquè ac iniquus
videri queat, si quis longo sermone mo-
rari vos & curas vestras non vereatur.
Expediam igitur quod in animo mihi
est, brevi. Opus chronologicum for-
mâ novâ, nec ulli hactenus usurpatâ
conceptum non uno elaboravi anno,
plus, uti spero, fructus in publicum, im-
primis verò historiæ studiosis, allaturum,
quàm fortè primâ fronte promittet.
Laboris certè tædiosi, & curæ molestæ
plus ei impensum, quàm quisquam fa-
cile possit credere. Usum eius ad hi-
storiæ cognitionem, disciplinarum om-
nium post sacrosanctam de DEO rebüs
que divinis doctrinam reginæ, & remp-
tractantibus utilissimæ, præcipue perti-
nentem in ipso operis initio, ut & in pro-
loquio ad lectorem ostendi. Hoc autem
opus in lucem nunc exiens illustrissimis

ac ve-

EPISTOLA DEDICAT.

ac verè inclytis nominibus vestris inscribo & dedico , ut eorum clypeo tectum tutiùs se publico committere , & fidentiùs ire huc illuc possit. Quippe præterquam quòd maxima & clarissima illa sint , tantam etiam venerationem ob virtutes vestras & præclara facta merentur , ut vel umbra tutelæ illorum ad ab sterrendam à morsibus ac injurijs Zolorum malevolentiam videatur sufficere . Nam ut superiora silentio præteream , cum afflictissimis fœderatorum Belgarum rebus fortunam eorum cum desperatione penè luctantem contra potentissimum hostem , toti ferè Europæ formidabilem , prudentiâ & fortitudine vestrâ , fidentes DOMINO exercituum , egregiè mirantibus omnibus sustentastis , ac recreastis , proximis etiam annis consilijs & armis hostem eundem eò redigistis , ut contra omnem omnium expectationem sub specioso velamine honesti laudabilisq; desiderij rem affetatæ gloriæ suæ turpem , ac insitæ superbiæ adversam cogeretur committe-

EPISTOLA DEDICAT.

re. Armis enim fractus, & impendijs ex-
haustus, prætendens desiderium ac stu-
dium finiendorum intestini diuturnique
belli malorum, missis ultrò legatis pacem
aut inducias petijt: ac ne frustrà peteret,
contra animi sui sententiam & votum
necessè habuit testari, à populis liberis,
quorum libertatem tantâ vi & conten-
tione, tam gravi ac diurno bello haëte-
nus oppugnaverat, pacem induciâve se
petere. Et inducias quidem, cum pax
perpetua confici non posset, intercessio-
ne vicinorum regum & principum in an-
nos XII impetravit, gaudens in sinu. Spe-
rabat enim bello tot annos suspenso præ-
ter quietem & alia commoda sua, etiam
Belgas impendiorum magnorum tædio
arma esse deposituros, & concordiam,
quâ haëtenus contra vim ipsius steterant,
cum discordiâ intestinâ commutatueros,
sibiq; tandem tempore suo prædæ futu-
ros. Quorum alterum prudentiâ & stu-
dio vestro, ac paucorum, qui rectius sa-
piebant, spem ejus fefellit: alterum penè
ad votum ejus cum evenisset, in sumnum
discri-

EPISTOLA DEDICAT.

discrimen rursum rem Belgicam conjectat. Nam non sine astu ac operâ ipsius dissensionum & litium semen inter theologos fuit sparsum: idq; consultò est fortum à quibusdam ex ordine politico, quos ambitio aut avaritia transversos agebat, forsan etiam objectus ab hoste hamus aureus ceperat, ad clavum reip. sedentibus. Germinans verò & succrescens cum adolevisset, ac uti fit, eorundem, quos dixi, politicorum operâ studiòq; reip. quoque obrepfisset, paulatim ecclesiastica res, deinde & civilis per Hollandiam, Vlrajetinos, Geldros, Transsalanos in partes scissa, consilia consilijs opposita, odia intestina accensa, à factiosis h̄ic illic arma quoque parata, postremò fortuna provinciarum fœderatarum in extremum periculum adducta, ut jam fores nostras ultimum exitium pultare videretur. Sed excitavit rursum vos, & virtutem piatemque vestram magnus ille Israëlis custos, verè illustres ac generosæ animæ, pro rep. & ecclesiâ excubantes, ac per eosdem vos ineluctabilem casum à no-

EPISTOLA DEDICAT.

bis avertit. Vos quippe bonorum pio-
rūmque , quos idem DEVS ex reip. pro-
ceribus vobis addidit, autoritate ac fide
singulari adjuti prudenter consulendo,
& celeriter fortitérque agendo ingruen-
ti ac instanti perniciei obviam in tem-
pore ivistis , & è faucibus exitij totam
societatem fœderatorum eripuistis. Ita-
que quemadmodum per vos auspicijs &
opibus ordinum eiusdem societatis do-
mita & fracta fuit indomitorum & po-
tentissimorum hostium nostrorum fero-
cia ac vires, ita quòd nunc artes eorum &
machinationes sunt superatæ, quòd ma-
ximum discrimen depulsum , denique
quod hodiè incolumes sumus, id vestræ
virtuti ac pietati , & eorum , qui vobis
adstitere , & remp. ac ecclesiam salvam
voluere, constantiæ debemus, & debere
nos pleno ore , & grato corde prædica-
mus. Tua , inquam, illustrissime prin-
ceps, eximia prudentia & celeritas in ex-
pediendis consilijs , tua promptitudo &
dexteritas in ijs , quæ placuere , confi-
ciendis , tua magnanimitas & solertia
in pe-

EPISTOLA DEDICAT.

in periculis occupandis & antevertendis,
post immortalem D E V M , qui ~~προσάρτη~~ ti-
bi fuit, & consilia conatūsque tuos for-
tunauit, hanc salutem nobis præstite-
runt. Et tu generosissime atque inclyte
Comes, inueteratâ prudentiâ tuâ, ac sin-
gulari animi robore & fortitudine nus-
quam se in ancipitibus rebus deserente,
in omnibus hisce principi patrueli tuo
adstitisti, eique velut alter ipse ad-
fuisti : tu in domando hoc monstro
Herculi illi ~~ἀλεξιμάκω~~ verum te THESEA
præbuisti.

Accedit altera quoq; causa consilij mei,
id est, ~~προσφωνίσεως~~ huius. Nullius enim
mortaliū, qui iam viuunt, prudentia
& fortia facta tam frequenter in chrono-
co canone inter res huius sæculi notata
sunt, quàm vestra. Congruum igitur vi-
sum est, ad vos ante alios omnes librum
ex officinâ prodeuntem mittere, & ve-
stris Celsitudinibus eum consecrare.
Quòd supereft, humilibus precibus vos
oro atque obsecro, vt consilium factúm-
que meum clementer ac benignè acci-
pere, & me laborémque hunc meum tu-
telæ

EPISTOLA DEDICAT.

telæ vestræ commendatum habere non
dedignemini. ITA DEVS OPT. MAX. qui
haetenus bono reip. Belgicæ, & ecclesiæ
suæ contra hostium vim & insidias varias
incolumes vos custodiit, in commodum
& salutem earundem porrò vos protegat
& conseruet diutissimè: amen , amen.
Groningæ die VIII. Kalend. Augusti Iu-
lianii , anno æræ Christianæ M.DC.XIX,
ætatis meæ LXXII. ex Nonis Decemb.
Iuliani.

Vestræ Celsitudinis & Clementiæ
deditissimus

VBBO EMMIUS FRISIUS.

IN